



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Libellvs De Principalitate Romanæ Ecclesiæ**

**Roth von Schreckenstein, Hieronymus**

**Ingolstadii, 1550**

**VD16 R 3252**

Widmung

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30126**

# AD INVICTISSI- MVM ET MAGNANIMVM

Regem & Dom. Ferdinandum Romanorum Bohemiæ  
& Hungariæ Regem, Hieronymi Rotta Schre-  
ckenstain & Vnderfulmemmigen,  
Epistola.



Nuictissime Rex, Cum libel-  
lum, quem de Principaltate  
Romanae Ecclesiae ad Pau-  
lum III. Pontificem Maxi-  
mum scripsi, in publicum emit-  
tere constitueram, eundem Tuæ  
Sereniss. R. Maiestati dedi-  
care in animum induxi. Nul-  
li enim magis convenire visum est Romanae Ecclesiae prin-  
cipalitatē defensionem destinare, quam Romanorum Re-  
gi. Nam ut diuinus Plato in dialogo de Regno attestat-  
tur, Reges sacerdotium maximum decet. Quapropter, ut  
idem inquit apud Aegyptios non licet absq̃ sacerdotia  
imperare, quin immo si ex alio genere quispiam ui regnum  
usurpet cogitur post regni assumptionem sacris initiari,  
ut Rex deniq̃ sit & sacerdos. Nempe quemadmodum  
A 2 summus



Summus sacerdos Pastoris fungitur officio, iuxta illud, pa-  
sce oves meas, sic Plato Regem Pastorem & nutrito-  
rem humani generis esse affirmat. Ob quod Iura Ciuilia  
uolunt summam Imperatoris laudem esse, conseruare Ro-  
manæ Sedis Reuerentiam, ei cuncta subijcere & cuncta  
ad eius unitatem ducere, id quod in hunc usq; diem Summa  
cum alacritate & felicitate fecisti, quod tuum firmat Im-  
perium, regna conseruat & te in sublimi prouectum gra-  
ta tranquillitate custodit, ut uoce prophetica cum sanctis-  
simo Pontifice Ioanne in Epistola ad Iustinianum Imper-  
ratorem exclamare possem, Tibi abundet Cœlum desuper  
& effundent montes iucunditatem & colles laticia letas  
buntur. Accipe igitur Magnanime Rex, Libellum de  
Principalitate Romanæ Ecclesiæ serenissimo uultu, ut  
soles, a fidelissimo Vasallo, qui non tam pacis temporibus  
tuam Maiestatem ornare & celebrare, quam etiam in bel-  
lorum fluctibus reuerendissimū cultum & constantiam ex-  
hibere, unice in uotis habet. Vale ex Vnderfulmemmigen.  
Pridie Cal. Septemb. Anno restitutæ salutis. 1549.  
Sereniss. T. Maiest.

Deuotissimus Cliens &  
fidelissimus Vasallus.

Hieronymus Rott a  
Schreckenstain &  
Vnderfulmemmigen.